

71. *Obj. II.* Juxta Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. pœnitens recipit gratiam suæ dispositioni respondentem; ergo cum dispositione languidiore non potest recipi gratia intensior ante peccatum acquisita.

R. *Explic.* Juxta Trident. pœnitens recipit dispositioni præsentem gratiam, quæ in justificatione per se infunditur C. quæ infunditur per accidens N. Contritio est causa gratiæ, quæ per se et ratione præsentis justificationis infunditur, et pœnitentiæ fervori tanquam dispositioni exæquatur. Ast intuitu gratiæ ob merita suscitata quasi postliminio reversæ, contritio non est propriè dispositio, multo minus causa illius, sed tantum conditio, quæ impedimentum seu peccatum amovetur.

Inst. 1. Sacramenti efficacia major vel minor, pro pœnitentis dispositione reviviscit; ergo etiam efficacia meritorum antecedentium.

R. *N. Cons.* Sacramentum nihil antehac effecerat, sed incipit demum ad subjecti dispositionem vim suam exerere: actiones autem bonæ antea jam suum præmium meriti et adeptæ fuerant, quod eis in justificatione restituitur.

Inst. 2. Si restituitur pœnitentiæ omnis gratia prius obtenta, ergo præstat peccare, et pœnitere, quam non peccare; eo quod pœnitens a lapsu ditior resurgat.

R. *N. seq. et ejus causalem.* In statu justitiæ nemo diu perseverat, qui se actionibus bonis assidue non exercet; ergo semper augetur meritum, et intenditur gratia, dum interea in peccatore, extincta gratia, quæ ante acquisivit, merita sopiuntur. Gratis autem assumunt Thomistæ, quod actus boni remissiones non intendant gratiam.

Inst. 3. Academia Parisiensis merito damnavit hanc propositionem: *Deus semper vocat hominem ab hac vita in optimo statu, quem in illa habuit*: ut testatur Joannes Major in 4. d. 22. q. 2. Atqui secundum thesin nostram, damnata hæc propositio esset vera; ergo.

R. *D. M.* Merito S. Facultas Parisiensis damnavit hanc propositionem, intellectam de omnibus hominibus C. intellectam de solis prædestinatis N. Electi ad certum gloriæ gradum prædestinantur; cum ergo ad certum gradum gratiæ, illi gloriæ proportionatum pertigerint, verosimile est, eos tum ex hac vita a Deo rapi serius aut citius, ne malitia mutet ipsorum intellectum.

ARTICULUS VII.

AN PECCATA DIMISSA REDEANT SUBSEQUENTE PECCATO NOVO?

72. *Nota.* Dupliciter cogitari potest, peccata prius dimissa posse homini recidivo ob novam culpam redire: primo formaliter, quoad maculam, offensam Dei, et reatum pœnæ; si nimirum reddant hominem eodem modo invisum Deo et æterna pœna dignum, quo reddebant antequam dimitterentur. Secundo virtualiter ac minus propriè, puta, in aliquo suorum effectuum. Peccata prius remissa, iterum per peccatum mortale subsequens redire olim docuerunt Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 9. Guilielmus Parisiensis tract. de Sacram. pœnit. et Gratianus d. 4. de Pœnit. in principio. Magister autem in 4. d. 22. non audent judicium ferre contra

hanc sententiam. Sed Medina Codice de Pœnitentia, tractatu 1. q. 8. argumenta opposita solvere conatur.

73. *Dico I.* Nullum peccatum semel remissum novo peccato subsequente reviviscit, nec quoad maculam et offensam, neque quoad reatum pœnæ. Ita S. Thomas q. 88. a. 1., Albertus M., S. Bonaventura, Scotus, Richardus, Gabriel et alii in 4. d. 22. quos sequuntur uterque Sotus, Suarez et recentiores Scholastici.

Prob. I. In sacris Paginis peccata dicuntur absolute dimitti: Isa. 1. v. 18. *dealbari ut nix*; Ps. 50. v. 3. *mundari, deleri*; Michææ 7. v. 17. *projici in profundum maris*; Joan. 1. v. 29. *tolli* a Christo. A Concilio autem TRIDENTINO Sess. 5. Can. 5. peccatum originale ita dicitur tolli, ut nihil ejus remaneat. Matth. 18. v. 18. ait Christus: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo*. Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Atque ideo sacerdotes sine ulla conditione futuri effectus a peccatis pœnitentes absolvunt: nam Rom. 11. v. 29. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*. Nahum 1. v. 9. juxta editionem LXX. *Non puniet Dominus bis in idipsum*. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*.

Quo spectant, quæ GELASIVS Papa relatus apud Gratianum dist. 4. de Pœnit. cap. 24. final.: *Divina, inquit, clementia remissa peccata in ultionem ulterius vivere non patitur*. Et S. PROSPER, resp. ad object. 2. Gallorum (patrolog. t. 51. p. 138.): *Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit, nec originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debetur*.

Prob. II. Idem peccatum non potest redire, quando quis ex statu justitiæ in peccatum novum relabatur: nam peccatum alterum realiter a priore distinguitur; hic enim vel maxime valet illud Philosophorum: a privatione non datur regressus ad habitum seu formam priorem; ergo est alia macula, sive hæc consideretur ut aversio voluntatis a Deo ad creaturam, sive spectetur ut privatio gratiæ; quia et actus privans est realiter alius, et forma gratiæ expulsa alia est. Consequenter est alia injuria Deo illata; alia item offensa. Igitur peccatum præteritum semel condonatum, neque secundum esse suum physicum, neque secundum esse morale redire unquam potest.

74. *Dico II.* Peccata dimissa quadruplici ex capite redire possunt sed minus propriè.

1º. Cum quis in ejusdem speciei peccatum relabatur, redit peccatum, non quidem hoc ipsummet numero, sed idem specie, quoad similem Dei offensionem, privationem gratiæ, et reatum. Ita febris redire dicitur, cum quis sanatus, in eandem recidit.

2º. Censentur redire peccata, quia ob ingratitude ex numero et enormitate dimissorum antea peccatorum, subsequens peccatum gravius æstimatur. Hinc illud Prov. 26. v. 11. et 2. Petr. 2. v. 22. *Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti*: ut advertit S. Grégorius L. 3. de cura Pastor. admonit. 31. (opp. t. 3. p. 83.)

3°. Modus sequitur ex priore, quod Deus tot novis peccatis offensus subtrahat gratias abundantes, ut homo relabatur in peccata pristina, atque etiam in graviora, obduretur in malo, et impœnitens ac reprobus decedat. Hæc nempe est *plaga illa inimici, et eastigatio crudelis*, qua Israellem a se percussus ait Deus Jerem. 30. v. 14.

4°. Denique dicuntur priora peccata redire; quando Deus, mensura quam destinavit impleta per peccata sequentia, pœnas incipit infligere, quod ante distulerat, et quasi dissimulaverat. Quo modo recordari peccatorum dicitur, quæ ante videbatur oblitus esse.

75. *Obj. I.* Christus Matth. 18. v. ult. ait, idem nobis obventurum, si iniurias non remisimus, quod Rex fecit servo, cui ob crudelitatem erga conservum, revocavit donationem debiti prius factam. Quod etiam B. AUGUSTINUS, venerabilis BEDA, aliique Patres eo interpretantur; ergo peccata præterita, novo subsequente redeunt.

R. *N. Cons.* cum S. JOANNE CHRYSOSTOMO aliisque Patribus, qui docent, in parabolis non tam spectandam esse exactam similitudinem, quam Christi intentionem; qui quidem indicare hic voluit, Deum severissime acturum cum immisericordibus.

Inst. 1. Potest Deus peccatum remittere sub conditione, nisi novum accesserit; ergo hoc superveniente illud reviviscit.

R. *N. Ant.* Macula peccati vere ac formaliter per gratiam sanctificantem destruitur: neque eadem macula redire potest, nisi ex eodem peccato; quod neque ab homine naturaliter produci iterum potest; multo minus a Deo, cujus sanctitati hæc actio repugnat. Et quamvis talis actio physice esset eadem, tamen sic repetita quoad injuriam et reatum perinde se haberet, ac duo peccata numero distincta. Quod si ex opinione Scoti possent divinitus in alio decretorum ordine reverti peccata, vix haberetur firma ratio, cur jam non redeant; cum testimonia sacræ Scripturæ id non tam clare affirmant, quin expositionem aliam admittant.

Inst. 2. Potest quis a se abdicare jus *sub modo*, ut Jurisconsulti loquuntur, h. e. sub pacto et conditione, ut jus illud redeat, si conditiones rerum mutantur; ergo etiam potest Deus abdicare a se jus odio habendi hominem propter peccatum A cum conditione, ut redeat idem jus accedente peccato B.

R. *N. Cons.* Jus ad fundum, qui pluribus nominibus possideri potest, potest redire accedente novo titulo: nam si abdicavi eum hac conditione, ut post mortem Caii jus ad me redeat, Caio mortuo illam possideo iterum titulo conventionis, quem ante possederam nomine hereditatis aut emptionis. E contra jus Dei ad hominem odio habendum propter peccatum A non potest esse alio titulo nisi ipsius peccati A existentis; ergo cum peccatum A vere extinctum nunquam redire possit, impossibile omnino est, ut idem titulus ad odium reverti queat.

Inst. 3. Potest Deus peccatum originale ita suspendere, ut existat et non inficiat animam, nisi posita conditione; nam si crearet animam seorsim a corpore, et anno integro in tali statu separationis relinquat, toto hoc anno peccatum originale non inficit animam istam; cum tamen existat ejus peccatum originale: verum enim est dicere: anima hæc peccavit in Adamo;

nam tunc cum unitur, non primum peccat; ergo eodem modo posset a Deo suspendi peccatum mortale personale usque ad certam conditionem.

R. *N. Ant. Ad prob. N.* quod illo tempore existat peccatum originale illius animæ tanquam macula habitualis illam inficiens; quamvis verum tunc sit, illam peccasse in Adamo: alias etiam hodie peccatum originale Antichristi existeret. Tunc ergo solum peccatum Adami animæ illi et futuris adhuc hominibus est imminens, quod tamen nondum est actu peccatum hujus animæ, aut ullius hominis futuri. Ex quibus alteram probationem *Dist.* Vere dicitur: anima hæc peccavit in Adamo, h. e. gravata est debito contrahendi peccatum Adami, quamprimum unietur corpori C. quasi ante unionem cum corpore peccatum ejus jam existat N. Eodem modo et ultimam propos. *Dist.* Tunc cum unitur corpori non primum peccat, h. e. non primum ponitur causa peccati ejus originalis C. tunc non primum inficitur peccato originali N. *Consequentiam* autem absolute negamus, eo quod non sit par ratio peccati originalis, et personalium. Idem enim non dicit respectum ad voluntatem ejus, qui illud contrahit, sed ad peccatum Adæ, quod nunquam fuit plene et efficaciter ablatum, ut fuit peccatum totius naturæ, sed tantum ut fuit peccatum personæ. Quod si Deus peccatorem in nihilum redactum reproduceret, non ideo resuscitaret peccatum ejus habituale: hoc enim subjecto suo identidem adhæret, donec Deus liberali remissione illud non sustulerit.

76. *Obj. II.* Deus dicitur recordari peccatorum, quorum prius oblitus fuerat, Ps. 78. v. 8. *Ne memineris iniquitatumstrarum antiquarum.* Ps. 108. v. 14. *In memoriam redeat iniquitatis patrum ejus in conspectu Domini.* 3. Reg. 17. v. 18. *Quid mihi et tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorentur iniquitates meæ.* Deus autem dicitur oblivisci peccatorum, cum illa remittit; ergo cum illorum recordatur, remissionem revocat.

R. *N. Cons.* Deus remittendo peccata, et culpas, et reatum æternæ pœnæ, in perpetuum irrevocabiliter et absolute dimittit: quod decretum mutare non potest. Textus autem illi sunt accipiendi de pœnis temporalibus, quorum executionem Deus quandoque differt.

Inst. Patres, quos Gratianus et Abulensis referunt, docent redire peccata vetera, ob novorum malitiam.

R. *Explic.* Docent redire peccata vetera eadem numero N. eadem specie, ac plura adhuc diversæ speciei C. Nimirum ob ingratitude crebro subtrahitur gratiæ auxilium, ut conclus. 2. ostendimus. Unde S. CHRYSOSTOMUS hom. 62. in Matth. (opp. t. 7. p. 617. A.): *Licet gratia et dona Dei sine poenitentia sint; at tantum valuit nequitia ut hanc legem solveret.* Et S. HILARIUS cap. 18. in Matth. (opp. t. 1. p. 760. D.) *Per hoc voluntatis suæ vitium donum munificentiae Domini amisit* (servus ille nequam de quo Matth. c. 18. v. 26. et seqq.). Licet autem omnia peccata ingratitude contra ipsum beneficium remissionis peccatorum retineant; quatuor tamen formæ ipsi beneficii præstiti etiam adversantur, ideoque speciali quadam ratione ob ingratitude redire dicuntur. Illa veteres hoc disticho comprehenderunt:

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget; pristina culpa redit.

Si enim forma accepti beneficii consideratur ex parte Dei, a quo nobis benigna peccati remissio proficiscitur; contra hanc peccant, qui fratri veniam poscenti injurias non remittunt. Ex parte autem hominis tres actus ad peccatorum remissionem potissimum concurrunt, puta, motus fidei, poenitentiae et propositum confitendi: quibus adversantur apostasia a fide, dolor de poenitentia habita, et contemptus confessionis. Vid. S. Thom. a. 2. ex cujus art. seqq.

77. *Colliges* 1°. Reatus qui ob ingratitude sequentis peccati redit, major interdum est, interdum minor reatu peccati praecedentis: nam si contemplerur peccatum novum secundum suam speciem, potest ejus malitia major esse vel minor, malitia peccati prioris; circumstantia vero ingratitude gravitatem peccati alterius tantum auget intra suammet speciem. Sicut ergo peccatum repetitum pro specie sua potest esse minoris aut majoris malitiae, quam peccatum antecedens, ita etiam circumstantia gravitatis ex adjuncta ingratitude. S. Th. a. 3.

2°. Idem S. Doctor a. 4. ostendit, quod ingratitude sequentis peccati non sit peccatum peculiare, sed circumstantia communis, nisi adjungatur expressa intentio contemnendi beneficium: peccatum enim accipit speciem suam ex intentione peccantis. Quod de peccatis accipi oportet, quae consummantur in voluntate, quorum malitia actui interiori primum convenit, et ab hoc in opus exterius derivatur: ut sunt odium, inobedientia, atque etiam ingratitude mentis vitium.

3°. Si innocentia, et remissio peccati considerentur secundum se, majus est beneficium innocentia; cum praestet, nunquam peccasse. Si vero spectentur secundum gratiae donum, amplius esse potest beneficium remissio peccati, quia fervide poenitentibus major quandoque gratia in justificatione refunditur, quam quidam innocentes possideant. Denique si gratia utraque referatur ad subjectum, largius erit beneficium peccati remissio: nec enim tantum impenditur non merito, ut innocentia tribui solet, sed positive etiam indigno, et iram merenti. Quam ob causam S. Augustinus L. 50. homil. ait, aequaliter teneri ad gratiarum actionem et eum cui plura peccata dimissa sunt, et eum cui pauciora: debitorem enim hunc esse pro omnibus, a quibus praeservatus est. Nempe licet remissio intuitu subjecti videatur majus esse beneficium; praeservatio tamen, secundum se sumpta excellit. Par ergo quodam modo utriusque est ratio.

CAPUT IV.

DE NECESSITATE POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

QUAM SIT NECESSARIA POENITENTIA?

Nota. Hactenus explicavimus efficaciam poenitentiae: nunc restat, ejus necessitatem declaremus. Cum autem Catholici omnes fateantur, actum hujus virtutis esse medium ad veniam peccatorum obtinendam necessarium; disputant tamen Scholastici, utrum actus iste debeat esse poenitentia formalis, an virtualis sufficiat? Scotus d. 14. q. 1. a. 3. Gabriel, Joan. Major in eadem dist., Medina tract. 1. de Pœn. q. 2. ad 3. Navarrus in summa c. 1. n. 10. aliique censent sufficere poenitentiam virtualementem. Contrarium videtur Thomistis recentioribus; ac Melchior quidem Canus Relectione de Pœnit. part. 3. tam asseveranter hoc tenet, ut pronuntiet, posse esse actum dilectionis Dei super omnia in homine permanente in peccato mortali, ex defectu formalis poenitentiae.

78. *Dico I.* Per se loquendo actus formalis poenitentiae necessarius est ad remissionem peccati mortalis consequendam. Ita S. Thomas q. 86. a. 2. ac saepe alias.

Prob. I. Testimoniis S. Scripturae supra celebratis, ac praesertim Luc. 13. v. 3. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Quando autem talis conditio non praesumit subjectum gratum, sed indicat id, sine quo gratia non obtinetur, manifeste continet necessitatem medii et non tantum praeepti. Eccli. 2. v. 22. *Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.* Apoc. 2. v. 5. *Memor esto unde cecideris: et age poenitentiam...* Sin autem, *venio tibi*, etc. Ezech. 18. et 33. tam necessaria dicitur poenitentia ad reparandam vitam spiritualem, quam peccatum est necessarium ad illam amittendam. Quapropter etiam Christus Matth. 4. v. 17. et Apostoli Act. 2. v. 38. initio suae praedicationis semper requirebant poenitentiam ad remissionem peccatorum, etiam cum baptismum essent suscepturi.

Joannes autem, Matth. 3. cum v. 7. dixisset: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* mox quasi unicum remedium ipsis suggerit: *Facite ergo fructum dignum poenitentiae.*

Haec autem et similia Scripturae testimonia possunt ac debent in sensu proprio accipi de poenitentia formali, sicut cum actus fidei aut caritatis exiguntur: praesertim quia nominibus poenitentiae, doloris, tristitiae,